

~~G. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-59

SIGNAT. 1515 CCCXIII

M

DISQVISITIO PHILOSOPHICA
CONTRA
SCEPTICORVM PRAETEXTVM
A DISSENSIONIBVS ERVDITORVM

SECTIO PRIOR

Q V A M

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS CONSENSV

AD DISPVTA NDVM PROPONIT

P R A E S E S

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHEIBNER

PHILOS. ET LL. AA. MAG.

D. S E P T. A. R. S. M D C C L X V

R E S P O N D E N T E

CAROLO CHRISTIANO CLAVSNITZERO

SCHIRMITIENS. MISN. S. S. THEOL. CVLT.

W I T T E B E R G A E
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

DISCERNITIO PHILOSOPHICAY
CONTINENS
SCPLTICORVM PRAETEXTVM
A DISCERNITIONIBVS ERUDITORVM
SALVATORE TITULORVM
FOLIA
AMULUS THYLOE ORBINI CONSERSA
EX SILENTIUM TROCHONIT
LITERAS
CHRISTIANUS LUDICRUS SCHIFFNER
ERUDITIONIS ET LIBRARIA
D. J. SEBASTIANI MDCCLX
REPROBATIONE
CATOLO CHRISTI NO CLAVSMITTEBO
MELIORI MELIORI
MILLE FERGANE
MILLE CANTO. CHRISTIANI TIBETI



DISQUISITIO PHILOSOPHICA

C O N T R A

S C E P T I C O R V M P R A E T E X T U M

D I S S E N S I O N I B Y S . E R V D I T O R Y M

S E C T I O P R I O R

§. I.

Noxia scepticisni renascentis.

Nulla hodie pestis nocentior est, nulla latius grassatur, tum contra intelligentiae, cum voluntatis humanae rectam culpa; tum ruram et suggillatim contra bonas artes, contra probos monachos, contraque veram religionem, quam Scepticimus, seu Pyrrhonismus pravus. Orta olim huius mali contagio a sapientibus et eruditis, superiore et hoc saeculo ipsum vulgus et turbam illitteratam invasit, et tot millia hominum corripuit, ut multitudo aegrotum remediorum copiam superare videatur.

A 2

§. 2.

§. 2.

Discrimen scepticisni laudandi et prau.

Est quidem semperque fuit laudanda quaedam sceptis, seu aſſensus ſuſtentatio, ſapienſiſſimorum hominum propria, tam apud veteres, quam recentiores, qua, de rebus obſcuris, incomperitis, aut ſine idonea ratione aſſumitis, initium iſpa dubitatione facientes verum ſolertiaſ discutimus, et deficienſtibus argumentis ex dubiis atque incertis nullas admittiſtus concludenes. Sed de hac nihil hic nobis negotii erit.

DISQVISITIO PHILOSOPHICA

§. 3.

Ortus scepticisni veteris et scriptores.

Vitiosa haec ſeepſis originem iam traxit, a vētūtissimis Graeco-rum Philosophis Sophiſtisque, atque his inde in varias ſectas diſtra-ctis: vt copioſiſſime exponunt, IOH. GERH. VOSSIUS de ſectis phi-losophorum, DAN. GEORG. MORHOVIUS in Polyhiſtore, GEORG. PASCHIUS de variis modis moralia tradendi, IOH. IONSIUS de Script. Hiſt. Philoſ. PETR. DAN. HUETIUS de imbecillitate intellectus humani, THOM. STANLEIUS in Hiſt. Philoſ., et qui omnium diligentiā vicit, IACOBVS BRUCKERVS in ſtupendo opere Hiſt. Philoſ. critic. Alios, qui id, vel ex iſtituto, vel per occaſionem faltem, egerunt, conſulto praetermittimus.

ALIAS PARTES INDIQVATIONIS NINQV.

§. 4.

Scepticisnus renatus.

Sed reducta eſt hodie a muliſ, varias prium ob causas; do- nec mox homines ignavi, impii, et licentiam ſcelerum quaerentes in haec caſta conſugerunt, vt ſuam malitiā defenderen, FRANCIS C. SANCHEZ, qui edito A. C. 1581. Lugduni libro, cui titulus, de multum nobili et prium inuersali ſcientia, quod nihil ſcitur; ſerio prius id egit, vt crassam Scepfſin omnibus disciplinis conuellendis adhi-

adhiberet, sententiis Pyrrhonicorum saepe etiam parum accommodata, aut ex horum mente, abusus. Sunt tamen, qui excusare hunc contentur, quasi callide et teste philosophandi libertatem contra tyrannidem scholasticorum et theologorum afferere hoc modo voluerit. (v. Buddei *Anal. Philos.* p. 211.) FRANCIS. LA MOTHE LE VAYER variis in opusculis non aliud faxum voluit; qui etiam religionis specimen conciliare suis conatus voluit, quando in *comm. de virtute paganorum Op. Vol. V.* p. 229. scribit: *Je trouve, que la sceptique n'est pas d'un petit usage a une ame Chretienne, quand elle lui fait perdre toutes ces opinions magistrales, que Saint Paul deteste si fort.* Sed quantum haec ratio valeat, alii viderint: quum ipsius VAYERII opinione variae Fanaticis admodum faueant. HYETIVS, in libro citato, causam potissimum suae ecclesiae, quae auctoritate magis, quam rationibus, sua dogmata persuadere cupit, iuare voluisse censetur, ut Pyrrhonismi commendatione aduerciariorum argumenta eo facilius eludi possent. BAYLIVM vero, qui omnes nervos pro reuocando in usum Pyrrhonismo intendit, non vacare culpa, quod fundamenta religionis passim subruere conatus sit, CROUASZ, PFAEF- FIVS, et nuper egregie celeberr. FORMEY in libro, quem *triumphum evidentiae* inscripsit, ostenderunt. Plures astoriae patroni, a scepticismo sua arma sumentes, quod satis constat, euulgatis scurrilibus libellis, quibus plebeculam rudem vitiorum illecebribus, quasi retibus, decipiunt, et ad societatem suarum turpitudinum pertransiunt, efficerunt, ut non litterari solum ex dubitandi de omnibus arte, gloriolam quaerant; sed iam milites quoque, mercatores, opifices, tonfore, tabernarii, et foemellae, elegantiam affectantes, garrisire more Pyrrhonicorum incipient.

§. 5.

Causae hodierni scepticismi aliquot. 1) Impietas.

Habet autem haec noxia dubitationibus indulgendi, et nihil pro certo habendi, consuetudo, pro vario temporum genio, varias eriam causas. Nostra aetate, cum multae sint, quae homines ad hoc lubri-

cum inducunt, aliquot saltem, tanquam apertiores, attingere est animus. Prima erit ex his impietas et religionis odium. Impietatem vero videmus vbiique regnare, tot vitiis et morum corruptionibus inuerteratis, quibus nemo impunitatem sperare potest, si saltem Deum crediderit. Quia autem religio Christiana sevare haec prohibet, et non poenas modo, sed aeterna quoque et ineffabilia supplicia his minatur, libertati eam suae et felicitati, quam vnicam credunt, obstat putant, et amore licentiae, cui adsuenerunt obsequi, illam ut auersentur, impelluntur. Hinc gaudent, quoties se auctores quosdam et duces nactos credunt, quorum opera ab his terroribus et conscientiae suae stimulis liberentur, si religio incerta facta fuerit. Quid autem vel famae suae interesse putant, ne conatus hic prauitati eorum adscibrator, ratione ad hoc esse adducti videri volunt, ad omnium aetatum exempla et auctoritates subtilissimorum scepticorum provocant, et socios, quoscumque possunt, adsciscere sibi student. Nematamen in honesti aut perniciosi ciues habentur, in societate hominum et ciuiili, leges, confuetudines, et instituta humana obseruant, et ex praescripto rationis se vivere aiunt. Imitantur quidem hac in re, quantum ad speciem attinet, veteres scepticos; re ipsa autem intentione horum alio spectat. Illi veteres enim haec sequebantur ex animo, quia ad felicitatem conducere hoc existimabant; sicuti etiam litteras colere et sapientiae ea de causa operam dare solebant (SEXT. EMPIR. Pyrrhon. Hypotyp. I. I. c. XI. f. 23. 24. c. XXXIV. f. 237.) Nostris noui Pyrrhoneis metu, coactione, et simulatione, hoc faciunt, ne execrabilis omnibus fiant, si nimis aperte intima mentis prodant. Non enim ut illi, Deum colunt, et quidem ut ens perfectissimum, et aliis philosophis melius et integrius de eo sentientes. (v. SEXT. Pyrrhon. Hypotyp. I. III. c. I. toto et aduers. Physic. I. I. f. 13-14.) Immo sublato Deo, nullam religionem, nullam iustitiam, nullam virtutem, nullam sapientiam, quas tamen utilissimas et necessarias ad hominum felicitatem esse decebant, relinqui ostendebant. (v. SEXT. EMPIR. aduers. Phys. I. I. f. 49. f. 123 seqq. cf. FABRICI Syllab. Script. de verit. Rel. Christ. c. XXIII. J.)

1119

§. 6.

§. 6.

2.) Ignavia cum ignorantia coniuncta.

Altera causa, quae hos homines temere et leviter dubitare facit non minus frequens est, ignavia cum ignorantia coniuncta. Cum enim veritas multis in rebus sine magno labore satis exacte inquire nequeat, multaque ex vulgi persuasionibus, temerariis iudiciis, sensuum et affectuum fallaciis, ambiguitatibus et obscuritate rerum et verborum, eius evidentiae obstant, hi tantas molestias fugere malunt, quam studium intendere. Itaque arripiunt, quod suae inertiae commodum et suae pravae voluntati blandum tam infani doctores, qui diuinam et humanam sapientiam cauillantur, offerunt. Et quia vident magnum nomen quosdam inde esse consecutos, quod arguiriis Scepticis petulantiis grauiorum disciplinarum magistros exaggrauerant, nomen suum inter eos profiteri non mettiunt; immo eruditio nis et elegantiae hinc laudem sperant. Nam ut de sola religione dicamus, quam, ut conuellant, omnes machinas adhibent, quam, rudes et inanes et necessariis subsidiis destituti sint, qui eam impugnant, satis appetit. Nunquam eam sine affectibus et plene cognoscere, ex ipsis sacris litteris et ab idoneis doctoribus, tentarunt. Non cognitio nem linguarum Hebraeae et Graecae, non antiquitatum Iudaicarum et ecclesiasticarum, sibi compararunt. Ne morum quidem disciplinae praecepta villa secura et solida acceperunt. Et tamen examini suo res tam sublimes subiictere audent: quin, si verum amamus, ne examine quidem, sed irridere et scismaticibus excipere solet. Ideo non capita integra doctrinae, quae illibata proponuntur, attingunt; sed loca quedam perperam conuersa, ritus quosdam minus intellectos, miraculorum circumstantias, et controveriarum paradoxas quae dam aucupantur, ut praetextum ex huiusmodi arreptis particulis calumniae adipiscantur. Sed in hoc quoque rursus valde dissimiles veterum Scepticorum sunt, qui, tametsi omnium aliarum sectarum dogmata arguebant, non tamen ex ignorantia et imperitia id fasiebant; sed quia demonstrationes perfectas et evidentes desiderabant. Artes enim tunc nondum tam nobilibus inventis ad certum et liqui-

dum

dum perductae erant, quam hodie sunt p'eraeque. Quam bene autem omnium Philosophorum systemata et dogmata Pyrrhenii caluerint, satis e **SEXTO EMPIRICO** discimus, cuius libri verus promus condus antiquitatis philosophicae haberri possunt.

§. 7.

3.) Aemulatio et inuidia.

Est etiam inter causas hodierni Pyrrhonismi numeranda inuidia, eaque duplex politica et litteraria. Illa est varia. Theologis inuidieri solet ob auctoritatem, qua in republica valent et efficiunt, ne sceleribus publice impunitas concedatur. Hinc sibi qui metuant tacite, vñionem a cauillatione doctrinae illorum meditantur, quod sepe eos ope plerumque tentant; quod exempla **VOLTAIRII**, **PASSERANI RADICATI**, et **EDELMANNI** docere possunt. Opes etiam et dignitates, quae piis et doctrina, vita, et meritorum magnitudine conspicuis conferuntur, quosdam stimulant, vt ob liuorem his bella mouant; qua intemperie plerosque Angliae Pyrrhonicos irreligiosos agitari constat. Sed inter literatos ex aemulatione inuidia oritur, et hinc rixandi studium, quo qui eos, quos redarguere conantur, vexare constitunt, semper ambigua quaedam quaerunt, quibus incerta et dubia quaevis facere queant. Hunc certe ortum totam olim Scepticorum sectam habuisse, longa probatione non eger apud eos, qui **SEXTVM EMPIRICVM** legerunt, et istam contra dogmaticos, etiam academicos, quibuscum tamen maxima ex parte ipsis conueniebat, acerbitatem obseruarunt. (v. **SEXT. EMPIR. Pyrrhon. Hypotyp. I. I. c. XXXIII. ORIG. Philosopbum. P. 4. p. 154. BNET de la foible de l'esprit humain. I. I. c. XIV.**) Nec aliud in **BAYLIO** potius notari, docet **TORMEY**. (v. **le Triomphe de l'evidence. P. III. Sect. I. §. VIII. p. 9.**

§. 8.

Prætextus scepticismi recentioris a diffensionibus eruditorum.

Possunt plurimae adhuc causae adferri, nisi id ab hoc instituto alienum esset. Quam ob rem id potius agendum erit, vt ad argumentum

gumentum huius commentationes paulo proprius accedam, et praetextum, quo saepissime ad speciem videntur Sceptici considerem. Veteres iam huius sectae socii, ut haberent fontes veluti quosdem dubitationum perpetuos, tropos sibi, seu modos numero decem *πεντακις*, seu cohibendae assensionis, excogitauerant, ut ex his tanquam topicis, ut alias vocantur, semper in promptu haberent, quod certi et veri evidentiae opponenter. Enumerat et explicat hos *SEX TVS EMPIRICVS*. (l. I. Pyrrh. Hypotyp. c. XIV.) Postiores vero his ex eadem haeresi quinque alios inuenierunt, in quibus primus fuit *ἀπό της διαφωνας*, seu a dissensione dogmaticorum circa vnam quamque rem. (v. *SEX. EMPYR. Pyrrh. Hypotyp. l. I. c. XV. S. 164.*) Hoc *BAYLIUS* (v. ei. Dict. Critic. Tom. III. art. Pomponace not. f.) tantum tribuit, ut inde argumentum ducere pro suis fluctuationibus potius, quam modestis dubitationibus, ut celeberr. *FORMEY* praeclare post *CROVSAZIVM* ostendit, non dubitauerit. Verba sunt:
Les grands Genies ne sont pas d'accord entr'eux; Or les uns ou les autres de ses grands Genies se trompent; ainsi quelque parti que j'embrasse, je cours risque de me tromper. H. e. *Magna ingenia inter se ipsi non conueniunt; Iam vero, aut bi, aut illi horum magnorum ingeniorum falluntur: Ergo quancunque partem amplexus fuero, periculum incurro, ne fallar.* Toto etiam in opere suo ad hunc tropum, seu strophen potius, tanquam ad sacram ancoram confugit, quoties aliquid dubium facere conatus est, ut primum aliquos inquireret, qui dissentirent; quod praeclare *CROVSAZ* et *FORMEY* probant. Sed longe aliter quam veteres illi Pyrrhonii fecerant, vnum ipsum hac dubitandi ansa fuisse, non est difficile demonstratu. Ex eius sententia pleraque ad praeiudicia quaedam auctoritarum reduci necesse foret, si haec concludendi ratio valere posset. Ut taceamus, quanta fallacia ex ambiguis verbis in hoc argumentandi modo insit.

§. II.

Diversitas sententiae veterum Scepticorum et BAYLIANAE de dubitandi causis ob dissensiones sapientum.

Veteres autem Sceptici, ab istiusmodi dissensionibus incertas res facere conabantur, quia is, qui ab alterutra partium starer, index es-

B

se

se non possit, quia ipse esset pars controuersiae, atque ita in sua causa iudicare non debat, vtpote suspectus. (v. SEXT. EMPIR. Pyrrh. Hypotyp. l. I. c. XIV. §. 29. 30. 38. 112. c. XV. §. 165.) Quod ipsum, quam infirmum sit, satis apparet. Sit enim vtrenque suspectus, qui aliquid iudicat, verum et certum in rebus non eius iudicio stabilit; sed eo, quod in iudicando se securum esse probare poterit. Et tamen adeo hoc obtenu abirebantur, vt a talibus sententiarum diuinis ad irodeveni argumentorum rem deduci existimarent; (v. SEXT. EMPIR. aduers. Phys. l. I. §. 59. sq.) quum potius, vbi frontibus adversis eas pugnant, aut viramque falsam ideoque nullius ponderis, aut ex principio repugnancie vnam veram, alteramque necessario nihil, colligere oportuerit. Sed BAYLII ratio ab illis multum abit, qua fere omnia ad formidinem auctoritatis aliorum reuocantur. Quum autem hoc suum effassum, cui se valde addictum fuisse omnibus in scriptis passim ostendit, vt praesertim FORMEX, v. CL. probavit, in syllogismi prope forma extulerit, operae pretium erit, eius ambigua et lubrica verba expendere, vt patet, qualis demum hacc sit consecutio.

S. IO.

BAYLII paralogismi.

Iam enim primum illud, magna ingenia inter se non consentire, quam vagum vanumque? Quærimus enim, omniae magna ingenia, an pauca, non consentiant? Vt enim aliquid saltum ad speciem consiceretur, oportet profecto de omnium magnorum ingeniorum disfensi confare; quod BAYLIVS nuspian probare potuit. Deinde, quae sunt magna ingenia? Num, quae BAYLIO talia esse placet? IOSEPHVS SCALIGER, linguae Gallicae bene gñarus, GVIL. POSTELVM magnum ingenium, sed stultum, iure vocavit; quorum virumque bene in eum conuenit. CARDANVS erat magnum ingenium, confessione omnium et ipsius SCALIGERT parvis; quum tamen bene longa historia de tangis eius conscribi posset. Porro illud, illi vel illi falluntur? Immo fallantur virique prorsus; quid hoc ad eos, qui verum

ex

ex certis notis, non ex opinionibus magnorum ingeniorum, quaerent? Tandem, cuicunque me parti adiunxero, quam dignum est Philosopho? Veritatis inuestigator, num de partibus eligendis, an de certo reperiundo vbiique, et vel apud aduersarios, laborat? Sed non sunt haec solius BAYLII, sed plerorumque etiam, qui, quando ipsi solidam philosophiae scientiam et iudicandi facultatem consecuti non sunt, auctoritatibus aliorum ad temerarias dubitationes abripiuntur.

S. 11.

*Alii scepsti ob dissensiones in philosophia tantum bene male
lere vtuntur.*

Sunt autem nonnulli, qui ob opinionum discrepantium et diverstatem dogmatum in philosophia tantum assensionem sustinent. Si id veri reperiendi, et acierioris indagationis causa faciunt tamdiu; donec clara et evidenter quadam animis ipsi potius comprehendant, quam aliis cogantur credere, et, donee vim nexumque veritatum sine periculo subreptionis perspiciant, aliorum auctoritatem et magnam existimationem non respiciunt; tantum abest, ut reprehendi possint, ut laudandi potius esse videantur. Hoc etiam fuisse, quod CARTE SVS commendatione dubitationis, a qua in vero inquirendo incipendum sit, spectauerit, defensor eius peracutus PETRVS DE VILLEMANDY in manuductione sua pulcre ostendit. Quoties vero id agunt, ut exemplis controuersiarum ipsas veritates a suis aduersariis demonstratas oppugnant, non illud modo efficiunt, de quo CICERO conqueritur, disputando ut verum amittatur; sed omnium etiam disciplinarum, quarum nulla principiis et philosophia assumptis carere potest, subrue se conari, atque, ipsa adeo officia vitae destruere, diffiteri non possunt. Habet de his, quae legi mereantur, IOH. FRID. IACOBI in comment. miscell. Tom. I. II.

S. 12.

Alii ad eviendam Religionem.

Sed hostes reuelatae religionis nostrae vbiique quaerunt occasionem ex dissensionibus Theologorum circa eius capita de illa dubi-

tandi, ut eam ludibrio aliorum exponant, quasi nulla certa et confessa ab omnibus veritate ea constet. Id quam studiose vbiique BAYLVS captauerit, et quam saepe alieno prorsus loco controuerbias de Religionis rebus inculcauerit, de quibus nihil ipse definiens, et obiectiones tantum sollicite congerens, atque dubitationes insuper nouis motis difficultatibus augens, non obscurae conatum suum prodidit, ut allegatis auctoritatibus permoueret lectores, ne revelationi assentirentur; vel ex vno in eius *Dictionario critico* articulo, sub lemma Pyrrhonis, satis cognoscitur. Accurate vero et ex instituto id docuerunt tam CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS V. S. V. in laudatis *Dissertat. Antibaylianis*, quam per portiores etiam Religionis materias signillatim FORMEV. V. P. R. in triumpho evidentiae. Eo autem latius hodie serpit malum hoc, quia, quo quisque rudior est in his studiis, quae ad exactam sanctioris disciplinae cognitionem requiruntur, eo fiducius eam se contempnere posse putat, nactus, ut sibi videretur, tantos dubitationum auctores, quibus acutissimus et diffusissima doctrina celebris scriptor laudem magnorum ingeniorum et alia inuidenda elogia passim tribuerit.

Instituti designatio.

Hinc equidem nihil a meis institutis alienum aut virilitate prorsus vacuum me mihi facturum persuasi, si in vim er momentum huius ad dubitandum argumenti, quod a dissensionibus aliorum ducitur, inquirerem. Praescripti autem mihi hunc modum, ut nunc in hac sectione priore euincere studeam, vanum hunc esse scepticos ob dissidia opinionum praetextum ideo, quia intelligi datur, rametsi certa veri criteria sint, ut reuera sunt, dissensiones tamen circa illud ex natura humani ingenii esse nunquam posse; posteriori vero sectioni probationem notarum veri indubiarum, quae existant, et modi, iis fine periculo fallacie vtendi, reservem. Haec enim euincere si contigerit, non erit valde metuendum, ne illa dissensionum allegatio magnum momentum in animis veri amantium sit habitura; quantum impi-

imprimis ad auctoritatum respectum attinet, qui apud sapientes contra adspectam veritatis lucem per se parum valer. Haec si in genere opposita hocentibus recentiorum scepticorum molimini bus fuerint; eo facilius deinde speciatim et per particulas confutare arguta-
tiones, magna specie et magna subtilitate contra bonam causam ex-
cogitatas licebit.

§. 14.

Origō diffensionum ex praeiudiciis communib⁹.

Iam vero diffensiones multas circa res vel clarissimas et facile, si opera debito modo impendatur, extra dubitationem collocandas, hoc est, in quibus constantes veri notae adhinc, orihi etiam inter doctissimos homines vix probatione operosa indiget; meretur tamen res considerari eatenus, qua vel methodi lege ad hoc institutum pertinet. Neminem mortalium non obnoxium esse fallaciis notionum deceptri-
cum, quamdiu dabitur, nullius intelligentiam esse infinitam et per-
fectissimam, satis constat. Fontes vero et originem harum fallacia-
rum cognoscere iuuabit. Accidenti vero ex principiis falsis, quae
praeiudicia vocantur, a quibus sive vulgaribus et communibus, sive
propriis, nemo prorsus liber statui potest per conditionem naturae
imperfectae. Illustris est comparatio BACONIS DE VERVLAMIO,
qua haec cum idolis veterum gentilium comparauit, quae etiam erudi-
tissimo KNUTZENIO (in Logic. §. 271. 272.) valde ob similitu-
dinis evidenter placuit. Res fere hoc redit. Sunt aliae opiniones
populares et communes prope omnium, qui ex literis nondum in-
genium excoluerunt, aut ante nobilia quedam inuenta vixerunt. Tales
multae etiam eruditissimos et sapientissimos quoque longo saepe tempo-
re detinent; sicuti veteres sententiae de Cometi, aut de motu sanguinis
ante circumflexum eius ab HARVEIO derectum. Quis autem non videat,
quantum ante hunc diffidere opinionibus consummatissimos etiam su-
perioris aeuī Physiologos necesse fuerit? Aliae deinde sunt opiniones
praeiudicatae certo hominum generi propriae, quarum causae sunt
fere obrepentes affectus, v. gr. opinio nobilium et militum, de laesa
fama armorum certamine reparanda; aulicorum persuasions de ob-
tusis

tus litteratorum ingenii. Eodem etiam referendi omnes errores, qui ex temperamentis, quae vocantur, seu constitutionibus corporum oriuntur. Tertium genus est earum, quae exemplis et consuetudine inductae obrepunt, quales sunt de pulchritudine, aut rationali vsu vestimentorum, de solennibus salutationum. Quarto loco habendae sunt, in quibus auctoritas sine ratione valeret, ut, vel soli nomini aut famae quorundam ad sensus addicatur, sine examine veri; quo pertinet omnes opiniones singulares Aristotelicorum, Cartesianorum, Leibnitzianorum, Rüdigerianorum, etc. in quibus locum habet illud saepe de auctoribus, quod de Antiocho CICERO (Acad. Quaest. l. IV. c. XXII.) dixit: *quod erant, qui illum gloriae causa facerent sperare, etiam fore, ut ii, qui se sequerentur Antiochii vocarentur.*

§. 15.

Ex præiudiciis specialibus seu propriis.

Et ut difficile sane erit, quemquam vñquam etiam sapientissimum hominum exitisse, qui omnium harum fallaciæ laqueos viaverit: ita apertum est, sancta quacunque multitudine, seu numero hominum doctorum, ex indicatis his causis, dissidia opinionum vel sic præsumenda fore; sed præstabit haec expendere, quae in singulis diuersitatibus iudiciorum de notis veri pariant. Quamuis vires et actiones mentis, seu intellectus, voluntatis operationes natura sua præcedant; propter necessariam tamen vtriusque coniunctionem et concursum sit, ut, pro gradibus diligentiae, et pro electione diuersorum in vero contemplando finium, in vnoquoque hominum peculiaris et ab aliorum institutis differens circa notas veritatis, omnibus obuias, mentis intentio sit. Has notas quanta attentione quisque investiget, et quibus illarum perceptionibus intellectus contentus assensum imperiat, et quas suarum virium, et quatenus ad hoc adhibeat, a voluntate potissimum pendet. (v. celeberr. CRVSII Weg zur Gewisheit und Zuverlaessigkeit der menschlichen Erkenntnis. §. 109-113. ENVTZII Log. §. 348. sq. §. 470. sq. REIMARI Log. §. 334. sq.)

Hinc

Hinc non est obscurum, cum modus examinandi veri gradibus applicationis secundum individua differat, iudicia inde formata etiam variare, et sententias discrepantes oriri; quae tamen, nisi prorsus sic contrariae sint, ut alterutram ex principio repugnantiae falsam esse oporteat, partem tamen quelibet veri, ut plus vel minus, continere posse. Sic CARNEADIS quidem et CYRENAICORVM opinio, quasi iustitia nihil sit natura, sed legibus deum et moribus hominum, comparata cum contraria sententia eorum, qui ex societate eius naturalem rationem concludunt, falsi ex principio repugnantiae conuincentur. Si enim natura est societas ea, ut sine iustitia esse non possit, contrarium huius necessario tollitur. Sed PYTHAGORAEORVM definitio, qua iustitiam esse dicebant, *par pro pari reddere*, et ARISTOTELIS, *suum cuique reddere*, gradibus salem differunt; virtus que partem veri complexa, minorem illa, quia definito angustior et vaga; haec definiendo satis forte exaequata, sed ad ideas claras consipiendas vix valde accommoda. (cf. HANOVII Exam. dubiorum circa ius nat. motor. sect. II. §. 4. p. 21. sq. et Philosophem. de iustitia Dei infin. §. 2. sq.)

§. 15

Ortus horum errorum ab imperfectione humanae intelligentiae et corruptione nostrae naturae.

Argue hoc minime iis mirum videri poterit, qui de infirmitate humanae intelligentiae sic connecti fuere, ut summum licet rigorem demonstrandi ubique adhibere voluerint, et pleraque de viribus intellectus et voluntatis in Psychologiam demoni reiecerint, non tamen potuerint omittere, quin in Logica iam de defectibus intellectus, quos morbos plerumque vocarunt, praecipere cogerentur. Vide praeter WOLFIUM et eius discipulos KNYTZENIVM (*Logic. Part. Special. sect. I. §. 470. sq.*) Alios omittimus. Sed non sunt solum intellectus, sed voluntatis quoque vitia in causa, eur mens humana ab obvia veritate aberret. Haec partim ex natura nostra finita, partim ex corruptione generis nostri oriuntur, et gradibus in unoquoque diffringunt.

runt. V. CRVSII V. S. V. *Logic.* §. 448 - 461.) Ita ex peculiaribus cuiusque affectibus singulares etiam sententiae profiscuntur. Norissimum est exemplum MATTH. FLACI, qui, cum in disputatione *de conuersione hominis et viribus liberi arbitrii* interrogatus esset a VICTORINO STRIGELIO, num peccatum originale sit substantia, an accidens, in ferore contentionsis respondit, peccatum originale esse substantiam; quem deinde errorem mordicus retinuit atque defendit, et ex metu ignominiae pessimi dogmatis auctor extitit. De ERASMO constat, cum initio in plerisque LVTHERO assensu fuisset, tandem, vbi ab hoc se laesum credidit, longe contrarias opiniones amplexum fuisse. Et quorū non sententias THOMASIVM solo Saxonicorum Theologorum odio tuendas suscepisse constat? Sed varietas opinionum unde maxime dignatur, facile animaduertemus, vbi in memoriam nobis reuocauerimus, quibus modis profecerimus. Ab ineunte aetate, qua prope omnis cognitionis expertes sumus, eius tamen comparandae magno desiderio flagramus, pro infirmitate iudicii multa, quae ex rebus externis sensu vehementius mouent, remere assumimus, ad ea vero, quae acriore mentis intentione egent, nimis tardi sumus. Ita a casu pender, ut plurimum, quae animo imprimantur. Haec vero, quae a teneris haufimus, etiam non aduentribus diutissime haerent, et ut ait HORATIVS:

*Quo simul est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.*

Huc accedit, quod, quibus prima cognitionis rudimenta debemus, parentes, nutrices, famuli sunt, quorum opinione sensim assumimus, non discussas, sed sola auctoritate et nostrarum affectionum sponte placentes. Egregie, quantum in educatione cuiusque, ratione etiam comparandae intelligentiae, momenti sit, QVINTILIANVS (*lib. I. c. II.*) et SENECA (*epist. VII.*) docent, verissimeque IVVENALIS (*Sat. XIV. v. 31. sq.*) cecinit:

*Sic natura iubet; velocius et citius nos
Corrumptunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus.*

Proximi

Proximi post hos, cogitationes et scientiam vigere sensibus incipientium formant magistri literarum, de quibus, cum etiam PETRONII illa querela de doctore umbratico ingenia delente, locum non haberet, illud tamen constat, quantum suas sententias omnes dissentium animis infigere laborent. Ab hac ergo institutionis diversitate, quae ex accidenti vnicuique contingit, fieri non potest, quin occasio semper ab aliis circa multa discrepandi nascatur.

§. 17.

A libertate morali in cultura intellectus.

Praeterea, quum Deus hominem sic condiderit, ut libertate quodam morali ad bene agendum respectu sui ipsius sit praeditus, hoc vel primarium quisque suum officium ducit, ut intelligentiam excolat, cuius ope ipse sibi recte factorum sit conscius et honestas actiones rite ordinet; perspicuum est, ingenii cultoram hanc secundum singula individua differre. (v. CRVSII Philos. mor. §. 21. etc. 336. 346. sq.) In his autem, in quibus peculiares quisque sibi rationes suscipienda sentit, suae sponte esse, ut cupiat, neque ab alieno arbitrio legem accipere velit, naturale est. Hinc assentiri quisque aliorum diuersis concipiendi modis, qui suae cognoscendi facultati non respondent, tamdiu recusat, quamdiu nondum evidentia alienarum sententiarum probata est. Ita accidere frequentissime est necesse, ut propriis ex causis multis in rebus sapientiae studiosi dissentiant; quae tamen dissensiones veritatem apud eos, qui aut maiore perspicacia valent, aut in illius inquisitione diligentius et felicius profecerunt, dubiam reddere non debent. Quare, quamdiu dabitur pro ingeniosis, et eorum cultura, et institutionis varietate, perceptionum etiam modos differre, concedendum illud quoque erit, varias dissensiones necessario oriri, non veritatis dubiae aut nostrae intelligentiae negatae virtus; sed conditione facultatum animi finitarum et ex habilitate subiectorum differentem agendi vim sortientium. Atque dici sane vix potest,

C

quam

quasi paruae saepe res ansam dissentendi viris doctis dare possint. Interdum sola verba, diuersimode accepta, hoc efficiunt, ut recte pleraque scepticorum commento logomachis originem debere WERNFELS (*in Dissert. de Logomachis cap. IV. §. 15.*) statuit. ARISTOTELEM et PERIPATETICOS olim non aliam ob causam credibile est, statuisse nullum, in rebus menti oblatis inesse verum vel falsum, sed in solis earum signis, seu verbis, ut AMMONIUS ~~sequitur~~ p. 7. est auctor. Notae etiam satis sunt lites Scholastico-rum realium et nominalium. Sed quae tam leuisibus causis originem debent, indigna profecto erunt, ut sapientem a veritate indaganda deterreant, aut ad perpetuam astensis suspensionem permoueant.

§. 18.

A difficultate cognitionis nostra.

Supereat alia etiam causa diffensionum in ipsa difficultate cognitionis humanae. Sensim, tarde, et multo denum labore multarum nobis rerum scientiam paramus. Ipsa nobilissima pars cognitionis, non mera sensuō extera, sed abstractione et ratiocinatione acquiritur; ut PLATO quoque, teste CICERONE (*Academ. Quaest. lib. IV. cap. XLVI.* omne iudicium veritatis, veritatemque ipsam, abduclam ab opinionibus et a sensibus, cognitionis ipsius et mentis esse voluit. Varia haec in rem in *Theaeteto*, in *Cratyle*, et in *Timaeo* differuit; e quo posteriore dialogo CICERO de *vniuersitatis et lib. II.* locum hunc vertit: *Quid est, quod semper sit, neque vnum habet ortum, et quod gignatur, nec vnuquam sit? Quorum alterum intelligentia et ratione comprehenditur, quod vnum semper atque vnum est, etc.* Haec autem cognitio pura, quantum subtilitatem desideret, nisi constat, quia veritatum vniuersalium ope, vsum rationis addiscunt. In his vero prona et facilis tam errandi, quam diffensiones excitandi est occasio. (*cf. CRVSII Logic. §. 53. 56. 42. 43.*) Sed altera pars, quae ex tensione gignitur; non minoribus difficultatibus est obnoxia.

Veteres

Veteres quidem tot in controuersias de sensibus inciderant; quia tot experimenta et obseruationes, quibus hodie artes ad certum perductae sunt, iis defuerant. Nos vero tot subsiditi veritatis per sensuum re-
et directorum ministeria explorandi instructi, minus quidem de iis dubitandi caufarum habemus. (v. KNVTZEN Logia. §. 283. sq.) Sed non ideo omnium dissensionum quoque causae sublatae sunt. Saepius obseruati effectus, de causis in diuersas partes viros do-
ctos distrahunt, cuius rei illustrer exemplum praebent EVLERI a
NEVTONO dissensiones circa lucem et colores. Quin in his, quae
tot idearum ad vnum aliquid eliciendum coniunctione constant,
vnica idea omissa suo loco, aut incompleta et minus adaequata, va-
riis dissensionibus causam dari necesse est.

§. 19.

Ab opinionibus pravis e consuetudine.

Faecundissima vero falsarum opinionum, e quibus deinde ne-
cessariae dissensiones orientur, mater est consueta. Eo autem dif-
ficiilius hae vitantur, quia de iis, quibus diutius adfueuimus, rarissime
opporuiae dubitationis admonemur. Vtus, si qua in re, in hac cer-
te iustissime tyrannus dicetur, quod saepe homines eriam ratione in
cacteris bene vrent nec opinantes suis legibus subiicit. Vivimus
cum pravis hominibus, corum ex moribus et exemplis minus atten-
dentes paullatim quaedam contrahimus, ex ipsis illorum opinionibus
quaedam metimur; non quia post res examinatas sic iudicemus, sed
quia sensim et imprudentibus nobis in consuetudinem ea venerunt.
Apud Pontificios superstitionis vulgares errores passim etiam viris
doctis, et ad longe melius sapiendum, si contentionem adhibuissent,
idoneis, haerent. Apud veteres Romanos, qui tamen humanitatis,
clementiae, et iustitiae laudem ubique affectabant, quot non exempla
barbarae crudelitatis et inhumanae truculentiae ex dura seruorum
conditione, ex gladiatorum lanienis, et ex captorum regum et du-

cum immanibus suppliciis proferri possent; in quibus sola consuetudo sic suos errores perdocuit, ut rationi vociferanti aures praecluderentur. At si hodie Europa cultior ab his abhorret; quis, hunc dissensum iustae dubitationi locum facere debere, statuat? Et ne iusto amplius excrescat haec commentatio, quid maioribus dissensionibus circa moralem ex decoro aestimationem actionum occasionem dat, quam varietas confuerundinum in diuersis gentibus locisque?

§. 20.

Ab opinionibus ab auctoritate.

Supersunt necessariae dissensionum cause, ex opinionibus ob eminentem nonnullorum auctoritatem inualescentibus, in quibus, ignae neglecto inquirendi et iudicandi labore, ipsa assentiendi consuetudo, ut CICERO loquitur, periculosa sit. Facete has BACO A VERV LAM'IO, supra laudatus, idola Theatri vocavit. In Gallia CAR TESIVS, in Anglia NEVTONVS, in Germania LEIBNITIVS, quot praeditatas quotidie opinione pariant, neminem historiae litterariae non pro�us ignarum fugere potest. Ipsi ab aeterna, qua gaudent, quire reuocati, si de huiusmodi commentis interrogari possent, responsuri profecto essent, nihil tale aut simile in mentem ipsis vnguam venisse. Unico exemplo contentus ero. Meditatus quaedam de lingua quadam eruditorum vniuersali era^t LEIBNITIVS. Ipse difficultatem et occasionem contradictionum satis praesenserat, et praeter meletemata generalia nihil publico permisera^t. Reliquae curae, praeter pauculas schedulas, morte eius interceptae sunt. Dici vix potest, quam multas variasque cogitationes post eius obitum inter eruditos res peperit. Quod irridere alii, alii defendere voluerunt; de re ipsa, vel potius instituto eius, nihil certiores illi, quam hi; utrique de eo vnicce solliciti, num aliquid excude^t re Leibnitianum possent. Exortus est, (cuius quia in praesentia nomen

nomen non succurrit, bono omni erit, vt affectus abesse intelligatur,) qui *harmonia linguarum elaborata, et tabula geographica linguarum totius orbis habitabilis, adiecta, miris de lingua vniuersali imaginationibus se idolo Theatri, ex lingua BACONIS litare posse speraret.* Accedunt ad hoc malum, cognitionem humanaam infestans, circumstantiae aliae. Saepe pessimi et vanissimi in summa dignitate constituti, magni nominis gloria veritati offererunt, et inueteratis erroribus validum patrocinium praestiterunt. Qui in Gallia, cum PHILIPPVS MELANCHTHON ex consiliis GVIL. BELLAI, arbiter ab ipso rege in controuersiis religio-
nis probatus fuisset, successum rei auctoritate suae veritati et aequi-
tati praeiudicante impediuerint, suave erit, e BELLAI ipsius
commentariis, e PETRO GALLANDO de vita PETRI CASTEL-
LANI, e CAMERARIO de vita PHIL. MELANCHTHONIS, et e
SLEIDANO de fr. reip. et Rel. sub CAROLO V. cognoscere.
Nec hoc raro evenit, vt veritas per iniuriam hominum et lo-
ci ne dici quidem a nonnullis possit. Ita BOSSVETVM Episco-
pum Meldensem, quum ante in plerisque cum protestantibus pro
aequitate sua et veri amore consensisset, tandem tamen, vt ma-
gnum saltem nomen nobis opponeretur, et opinionum ab auctoritate
valescentium causa confirmaretur, inductum fuisse constat, vt librum
de variationibus ecclesiarum inter protestantes conscriberet. Reliqua de
erroribus et dissensionibus per naturae finitae conditionem neces-
sariis, quamvis de Dei intentione praesumi nequeat, vt abscon-
sam nobis esse veritatem voluerit, et quamvis de reperiendo vero
idoneae dubitationis causam non adferre possint, vt ex Sectione
altera clarius apparebit, esset prope infinita materia dicendi, quae
praefensis instituti ratione nunc excluditur. Hoc potius contra
BAYLIANAM rationem in quaesito hoc praetextu mili placere

profiteor. Si viri magni sententis, dissident, aut sententiae erunt sic contrariae, ut una necessario sit falsa. Ita officium sui intellectus excolendi a veri amante exiget, vt, neque auctoritatem remere interponat, neque ipse pars controversiae fiat, solo accessu ad quamcunque ex iis; sed ut ope principii repugnantiae reperire, quantum licuerit, laborer, quae sit vera, aut probabilior certe. Vbi autem partem veri complexa vtraque fuerit, quid erit pulchrius et sapiente dignius, quam id exquirere, in quo vtraque conspirent. Pulcre LACTANTIVS: *vbi ergo sapientia est? Ut neque te scire potes omnia, quod Dei est; neque omnia nescire quod pecudis.*



Ung. VI 5g
f

ULB Halle
004 186 672

3




56.

KD18
VD17.

Zuni 2000 RU





B / G.
DISQVISITIO PHILOSOPHICA
CONTRA
SCEPTICORVM PRAETEXTVM
A DISSENSIONIBVS ERVDITORVM

SECTIO PRIOR

Q V A M

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS CONSENSV

AD DISPVVTANDVM PROPONIT

P R A E S E S

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHEIBNER

PHILOS. ET LL. AA. MAG.

D. SEPT. A. R. S. M D C C L X V

R E S P O N D E N T E

CAROLO CHRISTIANO CLAVSNITZERO

SCHIRMITIENS. MISN. S. S. THEOL. CVLT.

W I T T E B E R G A E
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.